



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 24. Abijt ad summos Sacerdotes. v. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

à consortio Christi, à societate discipulorum eius, à mensa Christi quia diabolus stat à dextris eius, sicut dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, quoniam dilexit maledictionem & euenit illi & noluit benedictionem & elongata est ab eo, quando à vero Pontifice animarum iuit ad Pontifices Iudæorum.

Iesu bone Domine, unde tanta maledictio? anne tecum quis existens perire potest, qui dixisti per Prophetam: *Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris: & cum perverso peruerteris?* Sed agnosco sententiæ huius vim non necessitatem interre sed quid humanitus fieri solear & sit prouum docere. non enim profuit misero huic sanctissimum Christi Collegium. annon enim hic Iudas electus à te cum cæteris Apostolis tuis? annon cum Sanctis conuersatus est? & quidem tecum quo nil sanctius, nil perfectius nihil omnino Quomodo igitur peruersus est? quomodo pergit? & recessit à te & sancta tua societate? noluit intelligere ut bene ageret, vidit bona exempla, audiuit pijs adhortationes, promissiones amplissimas regni cælorum, hæc floccipendens iniquitatē meditatus est in cubili suo, astitit omni via nec bona sic perijt, sic induit maledictionem sicut vestimentum. O te miserimum Iudam, melius tibi fuisset si natus non fuisses: aut non inter sanctos Apostolos connumeratus esses. Deus adiuua me miserum peccatorem, licet indignum me fatear tua facie ob multitudinem iniquitatis meæ, nec sinas me perueri aut perire, aut separari ab electis & sanctis tuis.

§. 24. *Abijt ad summos Sacerdotes. v. 10.*

Abijt à Christo ad summos Sacerdotes, non vocatus, non citatus, sciens congregatos in domo Caiphæ contra Christum Dominū eo quod oderant eum, sicut & ipse Iudas, modum captiuitatis & executionis propalaturus, ut captaret eorum beneuolentiam nummos lucraretur, ad honores promoueretur, & dignitates. Sic omnes auari & ambitiosi, modo lucrentur, perueniantque ad intentum siue honores siue diuitias abeunt à Deo ad diabolum, à Creatore ad Creaturam, emunt, vendunt produnt sine respectu Dei, honoris, & conscientia, Miserum genus hominum, quilibet fluctibus iactaris! quantis ventis!

O bone Iesu quam sæpe recessi à te? abijt à te? abscondi me à te? ut non curretem viam mandatorum tuorum, sed magis irem contra te, ad consilia impiorum, confortia iniquorum, in quibus te prodidi, vendidi, etiam sæpe pro nihilo propalaturus nequitas animæ meæ contra te. Heu abijt cum Iuda, redeo cum prodigo, tu me suscipe Pater amantissime!

§. 25. *Vt proderet eum illis. v. 10.*

Ecce exitus, secessus à Christo & Sancta Apostolorum Societate, prodi-